Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1809
Quelle:
Copyright:

Longius me provexit *Claudiani* numerus, qui usque ad prolixi Operis finem Nostrum non destituit, dignum sane, qui in *Historia Poetarum med. aevi* locum haberet, si modo innotuisset *Lyscro*. Sed primus eum demum prodidit solertissimus *Bern. Pezius* T. III. *Thes. Anecd.* P. III. p. 629. e Cod. *Benedictoburano*, in quo *Rudolfus de Lubeck* audit; Opus vero perfectum dicitur a. 1323. Est tamen, quod de hujus Subscriptionis sinceritate dubitem. Codex noster amplo Commentario tam inter lineas, quam per margines pollet, minuto quidem, multisque compendiis implicito charactere; legas tamen *fol.* 1. *Causa efficiens fuit Dominus Ruodolfus quidam nobilis vir de liebeg Canonicus ecclesie majoris Constancie*, et magis infra idem Cognomen *de liebeg*. Nomen *Rudolfi* familiare Helvetis. *Liebeck* arx in Comitatu *Lenzburgiensi*, unde nobilis Familia nomen duxit. A. 1309. *Rudolfus de Liebeck* Canonicus Eccl. colleg. Monasterii Beronis (*Beronsmünster*) et a. 1323. Praepositus Eccl. colleg. Cellae Episcopi (*Bischofszell*) sub Episcopo *Constantiensi* memoratur *Stumpfio* in *Chron. Helv.* Nunquid igitur Poetam nostrum, pace *Lubecensis* Urbis, habemus, qui meritorum ergo a Praebenda Collegiata ad Cathedralem ascenderit? Id quod evictum dare possent vetusti Canonicorum Catalogi, si qui *Constantiae* etiam dum supersint.

DCCLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 62. f. per duas columnas luculente, sed multis vocum contractionibus exaratus, et glossis hinc inde adspersus, minioque distinctus alterum est Exemplar *Pastoralis Novelli* mox dicti *Rudolfi*, cui Indicem praefixit Manus Sec. XV. quem Exemplar praecedens a prima manu ad calcem habet. Hic accedit Instructio: *De Confessione et primo de hereticis qui sunt excommunicati majori excommunicatione*, dein *Regule theoloyce vtiles et infallibiles super audiendis confessionibus*, ut additur F. *Aug. Lombardi* Ordinis S. Aug. sed hae mutilae sunt, et *Italos* sine discrimine Nostris olim *Lombardos* dictos fuisse constat. R. 2092

Ad Codicem compingendum adhibitae sunt Membranae II. e Synodo *Basileensi* datae a *Bernardo miseratione diuina tituli sanctorum Quatuorcoronatorum presbitero Cardinale Aquensi uulgariter nuncupato* in absentia *Nicolai* Card. *Panormitani* Majoris Poenitentiarii a Synodo deputati. Ad purpuram a *Felice* Antipapa evectus fuerat hic *Bernardus Gallus* O. S. B. Ep. *Aquens.* eamque deinceps respuisse dicitur a *Ciaconio* T. II. *col.* 940. qui titulum SS. *Nerei et Achillei* eidem adsignat. Membrana priore committitur Abbati de *Clarecampo* Ord. Cist. Dioec. *Traject.* Inquisitio rixae letalis inter 2. Clericos. a. 1445. Altera datur Facultas Abbati *Celle Angelorum* ejusdem Ord. Dioec. *Patavien.*